



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Quæ de mundi renouatione dicuntur, & alia qu[*a*]edam in contextu
explicantur. Sectio Prima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

COMMENTARIUM VLTIMVM EXEGETICVM,

De septima, & postrema visione huius operis.

Quae de mundi renouatione dicuntur, & alia quaedam in contextu explicantur.

SECTIO PRIM A.

RIMVM ait Ioannes vidisse caelum nouum, & terram nouam: *Primum enim, inquit, caelum, & prima terra abijt, & mare iam non est.* Dubitant Interpretes, cur de ignari aliter Ioannes, quam de caelo, ac terra locutus fuerit? Nam de caelo, ac terra dixit, quod caelum nouum, terramque nouam vidisset: at non dixit se mare nouum vidisse, sed tantum: *Et mare iam non est.* Ex quo sumpsit occasionem Beda existimandi mare siccandum esse, & omnino periturum, nec amplius post diem iudicij futurum. Sic enim inquit hoc loco. *Primum, inquit, in vltimo illo ardore siccetur mare, an & ipsum in melius vertatur: non facile dixerim.* Caelum quippe nouum, & terram nouam, non autem & mare nouum futurum legimus. Et multo clarius in comment. super 1. Petri canonicam, c. 3. ait duo elementa, ignem videlicet, & aquam esse peritura, reliqua vero duo terra, & aerem non peritura esse, sed renouanda. Idem sentit Andr. Caes. *Norandu, inquit, de caelo quidem dicitur: Abijt, id est, mutatum est. de mari autem: Mare non erit amplius. Quae enim utilitas maris, cum non sit opus hominibus illud nauigare? Haymo cu dubitatione loquitur. Quod sequitur, inquit, Et mare iam non est: utrum ad literam, id est, ut mare cum fluminibus exsiccetur, possit intelligi, an solummodo spiritaliter hoc dicatur: dubiu est. Terra enim aquarum conuersione subsistit, quoniam & infra, & extra, & supra se aqua continet: ne naturali ariditate siccetur, quoniam nisi aqua temperaretur, in cinerem redigeretur. Ideo veru in maximo illo ardore mare cum fluminibus siccetur, an & ipsum vertatur in melius? non facile dixerimus. Quod etsi factum fuerit per Dei potentiam, licet arida sit terra, satiu subsistere poterit. Quatuor siquidem sunt elementa, ex quibus duo sunt immutanda in melius, sicut hic dicitur, & Dominus in Euangelio manifestat cum ait: Caelum, & terra transibunt, id est, immutabuntur. Primum autem mare, vel ignis transeat, id est, immutetur, Deus scit, licet hic legamus: Et mare iam non est. Haec ille. Similique in dubio versantur D. Anselm Rupert. & Arethas. Ceterum non est propterea discedendu a communi sententia, videlicet neque caelos, nec vllū elementum in fine mundi periturum, sed omnia renouanda. Cur vero de caelo, & terra dictū sit: *Primum caelum, & prima terra abijt*: de mari vero: *Et mare iam non est*: profe dō non video tantam habere difficultatem, quantā superiores Interpretes putauerūt. Existimo enim eodem sensu dictū esse à Ioanne. *Et mare iam non est*: quo antea dictum fuerat: *Primum caelum, & prima terra abijt*: itaque idem esse hoc loco abyssū, & non esse. Quid enim quālo aliud est: *Primum caelum, & prima terra abijt*, quā primū caelum, & prima terra disparuit, seu quod superiori capite dixerat Ioannes, cum ageret de extremo iudicio: *Vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra, & caelum, & locus non est inuentus eis.* At vero quid*

Dubitatio

Beda siccandum mare credidit.

Item Andr. Caes.

Haymo ahsitat.

Itē D. Anselm Rupert. Arethas. Nullum elementum periturum communit sententia.

quid est disparuisse cælum, & terrâ, & ita fugisse, vt locus ei vsq[ue] inueniri n[on] posset, nisi amplius non esse: Pro eodem igitur non esse, abyssse, & fugisse vsurpanda sunt.

Sed vltcrius sciscitabitur aliquis, quo sensu id accipiendum sit: num, cū Ioannes ait primum cælum, & primam terram abiisse, mare que iam non esse, significet aliud omnino cælum, aliam terram, aliud mate esse à Deo procreanda, an renouanda duntaxat? Beda, vt superius diximus, duo elementa ignem, & aquam diuinitus interitura in nihilum putauit. Et verò non tantum ignem, & aquam, sed omnia omnino elementa, imò & ipsa corpora cælestia esse secundum substantiâ in fine mundi destruenda videtur sibi aliquis demonstrare ex 2. Petri canonica, c. 3. vbi ita legimus: *Cæli, inquit, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum. Et paulo post. Adueniet dies Domini vt fur, in quo cæli magno impetu transient: elementa verò calore soluentur: terra autem, & quæ in ipsa sunt, opera exurentur. Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus, expectantes, & properantes in aduentum dies Domini, per quos cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tacebunt: nonis verò cælos: nouam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat* Verum perperam id ex hoc testimonio colligitur. Etenim Petrus, cum ait cælos esse igni reseruatos, cælorum nomine non lydereos, sed aëreos cælos intelligit: qui igni dicuntur reseruati in die iudicij, quoniam ignis ille, quo vniuersus mundus deflagrabit, ad aërem vsque pertingeret, eumque puriorem efficiet. Cum verò ait: *Cæli magno impetu transient: de corporibus ipsis cælestibus loquitur, quæ tamen non secundum substantiam immutanda dicit, sed tantum secundum quandam transitum à motu ad quietem, & ad alium statum præstantiorem.* Addit elementa calore soluenda, quod de aëre, & aqua accipiendum est, quæ cum terra, de qua statim subditur, *Terra exurentur*, extremo illo igne purganda sunt. Rursus cum repetit: *Cæli ardentes soluentur*: de aëris calis enuntiat: quemadmodum de aëre, aqua, terrâque, quod sequitur: *Et elementa ignis ardore tacebunt*: non aliud significat, quàm quod hoc loco Ioannes, cum ait vidisse se cælum nouum & terram nouam. Denique cum nouos cælos, nouamque terram expectandâ docet, cælorum, terræque non quoad substantiam, sed quoad nouum statum instaurationem futuram.

Quo sensu accipienda sunt similia sacrarum literarum testimonia, veluti illud Esai. 51. *Cæli sicut fumus liquecent, & terra sicut vestimentum atteretur.* Et capite 65. *Ego credo cælos nouos, & terram nouam.* Et Matt. 24. *Cælum, & terrâ transibunt.* Et illud ad Rom. 8. *Vanitati creatura subiecta est non volens, sed liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloria filiorum Dei.* Et 1. Cor. 7. *Præterit figura huius mundi,* Et Psal. 101. *In initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli: ipsi peribunt, tu autem permanes. Et omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opererium mutabis eos, & mutabuntur.* Quibus in locis, si paulò diligentius aduertas facile perspicies non de substantiali aliqua mutatione, sed de nouo, perfectiori que statu haberi sermonem. Nec enim dixit Paulus aliâ futuram creaturæ substantiam, sed aliam libertatem, eam scilicet quæ modò vanitati seruit, & corruptioni subiecta est, in libertate ab omni corruptione immunem Diuino beneficio vendicandam. Non dixit huius mundi substantiam, sed figuram duntaxat præterire. Non etiam dixit Regius Vates cælestia corpora omnino peritura, sed alio longè nobiliori, & præstantiori, tū quoad lucem, tum quoad statum vestimento induenda. Exploratum est autem solius vestimenti mutationem, non ad ipsam internam corporis mutationem pertinere. Vnde D. Thom. in cōment. super epist. ad Hebr.

II
Altera do-
bitatio.

Ignem quo-
que interitu-
rum credidit
Beda.
2 Pet. 3. 7.
10.

Illustratum
locus ex D.
Petro.
Cælum, &
elementa non
peribunt, sed
mutabuntur
in melius.

III.
Eodem sensu
intelligenda
plura alia
scriptura loca
Esai. 51. 6. &
65. 17.
Matt. 24. 35.
Rom. 8. 20.
1. Cor. 7. 31.
Psal. 101. 26.

D. Thom.



cap. 1. ubi Paulus affert locum psalmi citatum, Sicut, inquit, vestimentum assumitur ad usum, cessante vero usu deponitur: sic cum fuerit completus numerus electorum mutabitur cælum quasi vestimentum, quia iam amplius ad rerum generationem, & corruptionem non inferuit.

Atque hæc, quam tradidimus de cæli, & terræ cæterorumque elementorum instauratione, sententia communis est Patrum, Doctorumque omnium: eam præcipue docet D. August. lib. 20. de Ciuit. capite 24. ubi tractans locum Petri citatum, Possunt, inquit, illi cæli intelligi perituri, quos dixit repositos igni reseruandos, & ea elementa accipi: sicut, quæ in hac una mundi parte subsistant procellosa, & turbulenta, in qua eosdem calos dixit esse repositos saluum illis superioribus, & in sua integritate manentibus, in quorum firmamento sunt sidera constituta. Nam & illud, quod scriptum est, stellas de cælo esse casuras, præter quod potest multo probabilius, & aliter intelligi, magis ostendit mansuros esse illos calos: sitamen stella inde casura sunt, vel cum tropica sit locutio, quod est credibilis, vel in isto imo cælo futurum sit aliquid utique mirabilis, quam nunc sit. Idem affirmat D. Hier. in c. 24. Matth. Cælum, inquit, & terra transibunt immutatione, non abolitione sui. Et in c. 31. Elai. Hoc est, quod Dominus loquitur in euangelio: Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt, Et Dauid in psalmo canit: A principio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut pallium inuolues eos, & mutabuntur. Ex quo ostenditur perditionem calorum non interitum sonare, sed mutationem in melius. Quidam perire, & veterasce pro abolitione, & morte accipiunt, iuxta illud, quod in catholica epistola legitur: Cælique nunc sunt, & terra eodem verbo reseruata sunt igni. Et iterum: elementa ardentia soluentur. Quæ quidem & Philosophorum mundi opinio est: omnia, quæ cornibus igni peritura. Unde & Apostolus, Pertransit, ait, figura huius mundi. Tale quid & Ioannes Apostolus scribit: Mundus pertransit, & desiderium eius. Et in Hebraico dicitur: Cæli sicut fumus liquefcent: sicut in xxi. Aquilam, & Symmachus. Committuntur in nihilum, & in stela modum conterentur, & euanescent: quæ prior dixit, uti est in c. 24. alter à λωσονται, quod à cōmitione & deliquo saluē τῷ μολογῶν trahere, manifestum est. Pro quo miror, quid dicere voluerint. Septuag. οὐρανὸς ὡς καπνὸς ἀπερραθήν, id est, Cælum sicut fumus firmatum est: si enim firmitas pro robore accipitur, quomodo fumo, quod firmum est, comparatur? Nisi forsitan possumus hoc dicere, quod omnis calorum firmitas, & robur, & fortitudo ventis inanisimo, & fumo, qui in auras soluitur, coæquetur, iuxta Ecclesiastem: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Illudque dicendum: quod si cælum, & terra peribunt, atque veterascent, quæ consequentia habitatores eius sicut ista moriantur, atque dispareant, cum animas esse perpetuas, & resurrectur a corpora poterimus? Ex quo perspicuum est cælum, & terram non perire & in nihilum redigi, sed in melius commutari. Et in capite 61. eiusdem Elai. Porro, inquit, qui nouitatem commutationem in melius, & non: elementorum arbitrantur interitum, illo, veniunt exemplo: A principio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent, & quasi amictuum inuolues eos, & mutabuntur. In quo perspicue demonstratur perditionem, & interitum non abolitionem in nihilum, sed commutationem sonare in melius. Neque enim illud, quod in alio loco scriptum est: Luna fulgebis ut sol, & sol septuagulum lumen accipiet: interitum significat pristinum: sed commutationem in melius. Quod ut possit intelligi, nostra conditionis penam exemplat. Infans enim cum in puerum creuerit, & puer in iuuenem, & iuuenis in virum, & vir in senem, nequaquam per singulas ætates perit: idem enim est, qui prius fuit, sed paulatim immutatur, & ætati pristinae perisse dicitur, quod intelligens & Paulus Apostolus loquebatur: Præterit enim figura huius mundi. Consideremus, quid dixerit: Figura præterit, non substantia. Hoc idem significat & Petrus: Nouos calos, & non iam terram videbimus. Non dixit alios calos, & aliam

III.
Eadem sententia communis patrum.
D. August.

In omni hoc cælum intelligit Aug.

D. Hieron.

Philosophorum opinio.

Aquila.
Symmach.

Septuag.

Ecl. 1. 1.

Esai. 30. 26.

Exemplum immutationis ex homine.

aliam terram videbimus, sed veteres, & antiquos in melius commutatos. Hactenus Hiero. D. Greg. Accinit D. Greg. 17. Moral. c. 5. Caelum, inquit, & terra per eam, quam nunc habent, imaginem transiunt: sed tamen per essentiam sine fine subsistunt. Hinc namque per Paulum dicitur: Praeterit enim figura huius mundi. Et hinc per semetipsum veritas dicit: Caelum, & terra transibunt. Hinc ad Ioannem Angelica voce perhibetur: Erit caelum novum, & terra nova. Quae quidem non alia cogenda sunt, sed haec ipsa renouatur. Caelum igitur, & terra transibit, & erit: quia & ab ea, quam nunc habet, specie per ignem tergetur, & tamen in sua semper natura seruetur. Haec ille. Denique, ne multum sum, haec est communis Patrum doctrina, communis etiam Interpretum in loca Scripturae sacrae citata expositio, communis Theologorum sententia: ut plusquam improbabilis ea opinio censenda sit, quae affirmauerit caelestia corpora in die iudicii quoad substantiam esse iramutanda corruptis iis formis substantialibus, quibus modò consistant, & aliis in eorum materiam iniectis, quippe cum communi doctrina, expositionisq. sacrarum Scripturarum à Patribus tradita, & ab omnibus interpretibus, Theologisq. recepte aduersetur. Pergamus nunc reliquam partem contextus explanare.

Opposita sententia plusquam improbabili.

Et ego Ioannes vidi sanctam civitatem Hierusalem novam, descendentem de caelo à Deo, V.

paratam sicut sponsam ornataam viro suo. Aggreditur Ioannes dicere de gloria sanctorum post extremum iudicium futura: quam sub specie pulcherrimae civitatis conspexit, quae Beatorum omnium in caelo domicilium, felicitatemque significat. E caelo dicitur ea civitas descendere, quoniam electorum praedestinatio, virtus atque merita caelestia sunt, atque e caelo ortu habent. Illud, à Deo, non cum, paratam, sed cum, descendentem, notandum est, ut patet ex Graeco contextu, qui ita habet: *ὡς τὴν πόλιν τὴν ἀγίαν Ἱερουσαλὴμ κατὰ τὸν οὐρανὸν, ἡ κατὰ τὸν οὐρανὸν ἡ πόλις ἡ Ἱερουσαλὴμ*. hoc est ad verbum: *Et civitatem sanctam Hierusalem novam vidi descendentem à Deo e caelo.* Hierusalem appellatur, tum quia in illa terrena fuit expressa, tum ob etymologiam nominis, quod visio pacis interpretatur. Novam verò dixit vel eiusdem illius comparatione, vel ex analogia comparatione militantis Ecclesiae, quae etiam Hierusalem nominatur: quoniam cum ex militante triumphans euaserit, alium nobiliorem statum, splendoremque accipiet, ut merito noua quaedam civitas appellari possit. Eadem electorum multitudo sponsa dicitur parata viro suo, ut explicetur pulchritudo meritorum, virtutumque omnium splendor, qui in electis reperitur, quibus tanquam pretiosissimis, pulcherrimisque ornamentis instructi tanquam sponsa à Deo viro suo in caelestem illum gloriae thalamum introducendi erunt.

Sanctorum gloria sub specie pulcherrimae civitatis describitur.

Cur Hierusalem dicta. Cur noua.

Meritorum in sanctis splendor.

Sequitur. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum

hominibus, & habitabit cum eis. Fit allusio ad tabernaculum Moisaicum, in quo erat arca foederis cum Cherubim aureis, in quorum alis expansis tanquam in sella, ac throno Deus confidere credebatur, iuxta illud Psal. 98. *Qui sedet super Cherubim.* Quare, ut significetur Deum peculiari ratione in suis electis post extremum iudicium cõfessurum, appellatur caelestis illa civitas tabernaculum, in quo Deus cum hominibus habitabit. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus* hoc est, peculiari quadam ratione Deus à Beatis coletur, & obseruabitur, ipseque etiam peculiari eos pro rogatiuis, & ornamentis decorabit. Puto etiam tabernaculi nomine alludi ad militansem Ecclesiam, quae nunc in tabernaculis militaribus in campo agit, ut sit sensus: Ne graue, & molestum sit electis modò in castris, & tabernaculis morari, bellare cum hostibus, ad quotidiana certamina provocari: quoniam tandem haec tabernacula militaria in gloriosum quoddam, magnificum, ac caeleste tabernaculum commutabuntur, in quo summa cum pace, ac securitate depositis armis triumphabunt. Quam tandem allusionem intelligendam arbitramur omnibus iis in

VI. Ad tabernaculum Moysi alludit Ioan. Psal. 98. t. Cur tabernaculum Dei cum hominibus appelles caelum.

Alludit ad militansem Ecclesiam tabernaculi nomine.

Idem fit in aliis scripturae locis.



locis, in quibus caelestis illa ciuitas tabernaculo similis dicitur, veluti Psal. 14. *Domine, qui habitabis in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Et Psal. 41. *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.*

VII.

Quoniam verò dictum fuerat electos futuros peculiari ratione Dei populū, Deūque etiam peculiari quadam ratione eorū Deum, id magis explicatur, cū subiungitur: *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit, neque lucerna, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt,* hoc est, omnia ista iam transierunt, nec in illa felici, beatāque ciuitate locum habent. Id quod magis exponitur, eum subditur: *Et dixit, qui sedebat in throno: Ecce nōna facio omnia. Scribe, quia haec verba fidelissima sunt, & vera.* Ad animandos fideles firmitas tam magnificae promissionis adhibetur. *Et dixit mihi: Factum est.* Referendum est ad illud tēpus, quo praecedētia acciderint: tunc enim mundi huius vicissitudinibus, & varietatibus finis omnino erit impositus. Id enim hoc loco significatur, cū dicitur: *Factum est.* Quam eādē loquendi formulam habes c. 16. cum septimus Angelus effudit phialam suam in aērem, & exiuit vox magna de tēplo à throno, dicens, *Factum est.* Verūm quanquā, quae modo in mūdo geruntur, finem accipere debeant, ego nihilominus permanebo, qui initium, & finis sum vniuersorū. *Ego,* inquit, *sum Alpha, & Omega, initium, & finis.* De quorū verborum germano sensu diximus fusè c. 1. Nec tātū ipse permanebo in meipso felix semper, ac beatus, sed felicitatem etiā, & beatitudinem cum electis meis communicabo. *Ego,*

Apoc. 16. 17.

Christum fōs, in istis sitietes. Arethas. Psal. 41. 2.

Fons vitae gratis datur quomodo. Rom. 8. 18. D. Thom.

D. August. Apoc. 3. 18.

VIII.

Et quoniam ad gloriam consequendam non sufficit fides, sed opera etiam requiruntur, subiungitur. *Qui vicerit, possidebit haec: & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.* Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatriis, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda. Timidos dicit impios allusione facta ad electos, quos bellatores propoluerat illis verbis: *Qui vicerit, possidebit haec.* Quasi dicat: Generosos, ac strenuos haec docet felicitas, qui videlicet audeat in consertissimos hostium globos sese inferre, nec vllam hostilem incurtionem reformident: timidi enim, cuiusmodi sunt omnes impij, qui vim sibi inferre timent, nuntiumque delicti, & carnis illecebris remittere verentur, & Satanę impetus perhorrescūt, ab hac illustri glorię corona repelluntur. Incredulos vocat eos, qui vel non credunt, vel ita sese gerunt, ac si non crederent Diuinum sibi auxilium in tentationibus, & persecutionibus affuturum, sed statim animo concidunt, quasi vereātur, ne à Deo destituti ab spiritualibus hostibus opprimantur. Execrati, seu vt habetur Graecè ἐξορκισμένοι dicuntur, qui execranda scelera, & Christiano hominē indigna suscipiūt

Mendaces

Mendaces autem non eos accipias, qui tantum leuiter, sed qui in graue danum aliorum mentiuntur: vel certe, vt exponit Beda, accipiendum est mendaciu, quo in religionem peccatur, quod mendacii genus sub Antichristi persecutione communissimum erit. *Ostendit*, inquit Beda, multa esse genera mendacy, sed periculosissimum, & maxime detestandum est, quo in religionem peccatur, de quo supra, Dicunt, inquit, se Iudeos esse, & non sunt, sed mentiuntur: sunt enim Synagoga Satana.

Mendaces.
Beda.
Apost. 2. 3.

Visio de cœlesti ciuitate Hierusalem proponitur, & explicatur.

SECTIO II.

Aggreditur deinceps Ioannes cœlestem illâ Hierusalem, felicissimum Beatorum domicilium magnificentissimis, & elegantissimis verbis describere: in cuius descriptione illud supponendū, non esse hoc loco sermonem de Ecclesia militante, vt Beda, Primas. & alij existimarūt, sed de triumphante. Quomodo enim Ecclesiæ militanti conueniat illud: *Non intrabit in ea aliquod coinquatum*? Et illud: *Templum non visum est in ea*. Colligemus verò ex omnibus interpretibus vnâ expositionem, quæ germanior, & textui magis cōsentanea videbitur. Primum igitur docet Ioānes venisse vnū de septem Angelis habētibus phialas plenas septē plagis nouissimis, dixisseque sibi: *Veni, & ostendam tibi sponsam uxorem Agni*: itaque sublatū fuisse in spiritu in montē magnum, & altum, & ostensâ sibi fuisse ciuitatē sanctam Hierusalem, descendente de celo à Deo, habentē claritatem Dei, & lumen eius simile lapidi pretioso tanquā lapidi iaspidis, sicut crystallū. In montē magno, & alto ciuitas cœlestis ostenditur, vt gloriæ magnitudo & sublimitas delectetur. Lumen, seu vt Græcè est, φωσ, id est, *Luminare* huius ciuitatis simile est lapidi pretioso tanquā lapidi iaspidis, sicut crystallū: siue vt habetur Græcè, ὡς λίθος ἰασπίδου, id est, *Quasi lapidi iaspidis crystallizanti*, hoc est, qui crystallus esse videbatur. Luminare hoc Deum, vel Christū significat, quē admodum & inferius dicitur: *Ciuitas non eget sole, neque luna: nam claritas Dei illuminat eam, & lucerna eius est Agnus*. Dicitur similis lapidi, qui viridis est: (est enim iaspis hoc loco lapis pretiolus) quoniam dum electos suos illustrat, æternæ viriditatis pabulo recreat. Imo non inconcinne plerique per hunc lapidem iaspidem visionem ipsam beatificam accipiunt, in qua tanquam in viridi lapide omnis nostra spes sita est, quæ dicitur similis crystallo propter claritatem, & transparentiâ, qua omnia, quæ sunt in Deo, formaliter lucent Beatis, & multa ex iis, quæ in eo eminenter continentur.

I.
De Ecclesia triumphante sermo est.
Beda.
Primas.
Ciuitas cœlestis sublimitas.
Luminare eius Deus, vel Christus.
Cuius iaspis simile.
Visio beatifica iaspis.

Secundò. *Habebat murum magnum, & altum, habentem portas duodecim: & in portis Angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israël*. Murus iste Christus est, qui non solum Ecclesiæ militantis, sed & triumphantis murus appellatur: quia ipse est, qui & Ecclesiam in terris protegit, & in cælis summa securitate in omnem æternitatem circundat, iuxta illud Elai. 26. *Saluator ponetur in eam murus, & antemurale*. Et Zach. 2. *Ego ero illi murus in circuitu*. Habet portas duodecim, hoc est (vt interpretatur diuus Ambrosius, Tyconius, Haymo, Arethas, & reliqui ferè interpretes) duodecim Apostolos, per quorum prædicationem, & scripta aditus patefactus est in cælum. Et super portas duodecim Angelos, qui Apostolis in prædicando Euangelio assistebant; & Diuinæ prouidentia in fidei propagatione sunt administri. Igitur, vt ait Arethas, duodecim Angeli in duodecim portis constituuntur, quoniam per Apostolos cooperatione Angelorum aditus nobis in cælum præparatur. *Sic enim*, inquit, *cuique fidelium designatus est Angelus, multo magis fundamentus Ecclesiæ, & Euangelici verbi seminatoribus consen-*

II.
Murus ciuitatis Christus.
Esai. 26. 1.
Zach. 2. 5.
Duodecim porte sunt duodecim Apostoli.
Ambros. Tycon. Haymo. Arethas.
Angeli adiutores Apost. in prædicatione Euangelij.
Arethas.

